

Cur Perseus talaribus & gladio Mercurii, galea Orci, clypeo Palladis, Medusæ capite, & Pegaso equo fingitur instructus.

autem res confecit incredibili celeritate, & versutia ingenii. ideoq; fingitur talaribus & gladio Mercurii, galea Orci, & clypeo Palladis fuisse instructus. nam talaria celeritatem, gladius Mercurii calliditatem, galea Orci consilium tectum, & Clypeus Palladis raram felicitatem significat. Per caput vero Medusæ, cuius aspectu omnes convertebantur in saxa, significantur immensa Gorgonum opes, quibus Perseus potitus omnes, quos bello adortus est, subegit. nam in Insulis occidentalibus, ubi Gorgonum gens habitat, olim fuerunt maxima opes totius orbis terrarum, teste Platone. Nonnulli referunt fabulam saxifici capitis ad admirandam Medusæ pulchritudinem, cuius aspectu omnes in stuporem sint versi. Pegasus equus alatus ex sanguine Medusæ natus, à quo fons Musarum in Helicone fingitur apertus, fuit insigne ipsius Persei, quo illustris & pervagata fama significatur, quam consecutus est ex otiosa Gorgonum regina.

Atlantis Pomariū.

POMARIA CLAVSERAT] Atlantis pomarium, in quo erant arborea frondes auro radiante nitentes, significat copiam auri, quo Mauritania abundat circa Atlantem montem, unde effoditur. Ad spoliandum hoc pomarium, hoc est, rapiendum aurum, Perseus illuc navigavit: Sicut Carolus Imperator hoc tempore Indiam spoliavit per Hispanos, magna copia auri ex Chryseis insulis ablata. Atlantem vero Mauritanie regem tradunt Foeta in montem illum altissimum esse conversum, propterea quod fuit à Perseo istuc depulsus. Ferunt eundem fuisse Mathematicum peritissimum & inventorem Sphæræ. Quare etiam fingitur cælum humeris sustinere, cum propter inventionem Sphæræ, tum propter altitudinem montis, quem incolæ vocant columnam cæli.

Atlas in montem.

Atlas cælum humeris sustinet.

FAB. XVIII. CLAVSERAT HIP- POTADES &c.

De virgis in Coralia mutatis.

Credibile est, Anaromedem ex ingenti aliqua calamitate creptam